

tenentes contrarium: & ipsius additio testatur contra Roder. Suar. in hoc esse communem opinionem, & ab ea non esse recedendum in iudicando, ex testimonio Alex. cons. 95. incip. vixit processib. lib. 2. in 2. col. Ita fuit postea pronuntiatum hic Placentia: quoniam iustum fuit per iudicem procedit in exsecutione vsq; ad vltimam pignorum licitationem, quod vulgo, sententia, de remate dicitur, & solui principale debitū actori cum expensis, viso hoc meo consilio.

S V M M A R I A.

- 1 Aliud pro alio exigi non potest ab inuito creditore.
- 2 Verbum dubium alicuius dispositionis declarari debet per verbum clarum eiusdem dispositionis.
- 3 Præcedentium hæc est vna virtus, vt declarent sequentia.
- 4 Præcedens clausula est maioris potentie ad declarationem sequentium, quam sequens ad determinationem præcedentium.
- 5 Dicta in præfationibus censentur repetita in conventionibus.
- 6 Gemmatio locutionis seu multiplicata reiteratio actus importat firmitatem consensus, & diuersitatem iuris ab actu simplici.
- 7 Gemmatio verborum sapit præcisam coarctationem & omnimodam deliberationem.
- 8 Contractus quis sit indicatur ex mente contrahentium, si constat ex ea, non vero ex verbis.
- 9 Petitio & monitio requiritur necessario, antequam exsequutio fiat, quando promittitur aliquid soluendum, cum ipse creditor petierit.
- 10 Hoc procedit, etiam si in obligatione sit apposta dies & pœna, sitamen inter partes sit actum, vt reus adhuc certificari debeat per actorem, & num. 11. exemplificatur in instrumentis publicis, & in priuata scriptura recognita.
- 12 Verificatio instrumenti debet fieri & probari confessione partis aduersæ, vel per testes cum citatione debitoris receptos antequam mandetur exsecutioni.
- 13 Qualitas sine virtus exsecutionis debet inesse a principio.
- 14 Instrumentum & contractus certa speciei debet exsequi in ipsamet specie, & debitor præcise est compellendus ad eam tradendam.

CONSILIVM XXX.

Vllo processu exsecutionis petita pro parte domini Archidia. de Medellin contra dominum Asuarum exsecutionem ipsam annullandam fore ex seqq. apparebit:

Primo, quoniam d. dom. Aluarus tantum se obligauit ad delegandum debitorem suum ipsi domino Archid. ad mensem Martij, ex quo posset debitum suum consequi, non vero ad soluendum. Cum igitur obligatus sit ad factum, non autem ad dādum, minime potuit conueniri nec exsequi pro quantitate prædicta, sed tantum ad delegandum dato ei termino, vt in mora cōstitueretur. Quia si sicut aliud pro alio inuito creditori solui non potest, vt sunt iura vulgaria, ita etiā aliud pro alio exigi non potest ab inuito debitore, cum sit validum argum. a correlatiuis, vt probat text. in l. domini prædictorum, c. de agric. & censu. li. 11. & tenet Rip. in l. 2. s. mutui dato. n. 29. ff. de cert. pet. Neq; enim aliquis potest conueniri in plus quam sit obligatus, quia obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ gratia, vt in princ. Instut. de oblig. tut. gener. & in l. 5. ut. 12. part. 5. Sed in præsentī tantum adest obligatio respectu delegationis, & sic non adest iuris vinculum respectu solutionis in pecunia numerata; Ergo respectu ipsius nulla est obligatio, cum ipsa sit stricti iuris, ac

proinde non extendenda, vt in l. quequid astringenda. ff. de verb. oblig.

Nec obstat, quod post verbum, que librarā, contentū in chirographo recognito a d. dom. Aluaro additur, y pagara, quia hoc vltimum verbum, y pagara, intelligitur modo supradictō, id est, delegando, quia delegatio in proposito est solutio, vel salte loco solutionis cedit. Quod præcipue probatur arg. l. 1. ff. de reb. du. & eorum, quæ ibi notant Dd. dicentes, quod verbum dubiū vnius dispositionis, declaratur & intelligitur per aliud verbum clarum eiusdem dispositionis. Idem probant l. heredes palam. ff. de testam. & l. vtrum. & ibi Bald. & Angel. ff. de pet. hered. Socin. in l. si sine. ff. de reb. dub. probatur etiam in l. si seruus plurimum. s. si ff. de delegat. Nam præcedentium hæc est vna virtus, vt declarent sequentia, vt in d. l. si seruus plurimum. s. si. tradit Mat. de Affili. dec. 1. Neap. 375. n. 1. & secunda virtus est, vt habeant potestatem restringendi, vt in l. si cum fundum. ff. de verb. signif. Bald. consil. 357. in ep. nota pro duce, & c. v. v. l. 5. n. 21. pag. 128. pro quo est etiam expressa l. nam & posterior. ff. de legib. Ergo verbum, y pagar, postea positum, debet intelligi & restringi per verbum librar, præcedens, hoc est, quod solutio fiat in delegatione. Quia præcedens clausula est maioris potentie ad determinationem sequentium, quam sequens ad determinationem præcedentium, secund. Bart. in l. quisquis. ff. de leg. 3. facit l. quisquis. ff. quando dies legat. cca. Rebuff. vbi supra. nu. 23. Item etiam, quia dicta in præfationibus censentur repetita in conventionibus, vt probat text. in l. Titia, s. idem respondet. ff. de verb. oblig. cum simil. Ergo verbum, librar, dictum in principio, debet etiam censi repetitum, quando dicitur, y pagar, scilicet, librando, cum hoc possit intelligi salua ratione recti sermonis, & cōuentio pro hoc non reddatur inutilis, vt in d. s. idem respondet. Item, quia si aliud diceremus, daretur in cōtinenti correctio & nouatio obligationis, quia prius dicit que librarā, & statim subiicit, y pagara, quæ duo differunt respectu speciei: Delegare enim est in nominibus debitorū soluere, vt in toto tit. c. ff. de noua. & deleg. At vero verbum soluere, simpliciter & de per se prolatum, intelligitur in potiori significato, hoc est, in pecunia numerata. Sicq; intelligere, quod debeat delegare, hoc est (librar) & postea in continenti, quod debeat soluere in pecunia numerata, sunt diueria & quodāmodo repugnantia, inducereturq; correctio & innouatio, quod non est dicendum in dubio, vt sunt iura vulgaria, præsertim in nouatione, quæ tacite nunquam inducitur, nisi expresse agatur, vt in l. fin. c. de nouat. cum materia, & in l. 15. ut. 14. part. 5. Item verba debent intelligi secundum subiectam materiam, vt in leg. si vno, cum vulgaribus, ff. locat. Sed subiecta materia in proposito est delegationis, hoc est, de libranca, vt patet ibi, de librar: Igitur verbum y pagar, postea sequens debet intelligi secundum verbum subiectum præcedens, ex libranca.

Secundo principaliter hoc probatur ex ipsomet chirographo inferius, ibi, y siendo necesario haer recado, o recados para ello, &c. Na ex hoc manifestissime colligitur, quod solutio debet esse in delegatione, iuxta quod prius dictum fuit: quia si in pecunia numerata solutio faciendā esset, ad quid oporteret domin. Aluarum alia instrumenta celebrare, cum ex tunc remaneret obligatus? Quo fit, vt verba hæc necessario referenda sint ad scripturam, aliaq; instrumenta requisita, vt solutio in delegatione sortiatur effectum, veluti instrumentum delegationis, vt debitores delegantis acceptent ipsam delegationem, & soluant, quia hæc est delegatio, vt in toto tit. c. & ff. de nouat. & delegat. Sicq; his 7 verbis repetitur, quod prius dixerat de delegatione, & geminatio locutio-

locutionis seu multiplicata reiteratio actus importat firmitatem consensus & diuersitatem iuris ab actu simplici, text. in l. 5. ff. de probat. & in l. Ballista. ff. ad Trebel. tradit alia iura allegans Euerard. in contr. legal. loco 91. in princip.

Item geminatio verborum sapit præcisam coarctationem & omnimodam deliberationem, vt cum Bald. & Præposit. tradit Ant. Corset. in tract. de verb. geminat. n. 31. qui est n. fin. vol. 1. tract. diuers. doct. fol. 323. col. 3. ad si. & Rolan. a Valle cons. 8. n. 5. lib. 1. Ergo ita in proposito dicendum est, vt necessario & omnino schedula hæc sit intelligenda in solutione per delegationem. Tercio idem probatur optimo iuris argumento, quia quando ex aliquo contractu constat de mente contrahentium, non est curandum de verbis & nomine ipsius appositus in eodem contractu ad iudicandum quis contractus celebratus fuerit, sed standum est menti contrahentium: imo verba impropriantur ratione subiectæ materiæ, vt bene tradit Euerard. in cent. legal. loco 13. in vers. secundo volo testare. Ergo ita in proposito dicendum est, quod cum expresse constat in prædicta schedula de mente debitoris obligantis se ad soluendum in delegatione, idque constat ex verbis geminatis in eadem positus, vt supradictum est, non sit curandum de verbis, y pagar, cum etiam proprie possint & debeant intelligi in delegatione, secundam subiectam materiam.

Sed postea, quod iuxta d. schedulam debitor teneatur soluere in pecunia numerata, quod non est verū, adhuc exsequutio esset, prout etiam est nulla, quia ad finem d. schedulæ dicitur, y siendo necesario haer recado, o recados para ello, cada y quando que por su merced me fuere pedado los hare. Aduertendum est enim ad verba, cada y quando que por su merced me fuere pedado, &c. Nam per hæc verba declaratur, quod tunc demum ad id teneatur, cum fuerit petitum a creditore, & non antea, quia quando aliquis promittit soluere aliquid alteri, cum ipse creditor petierit, requiritur necessario petitio & monitio antequam exsequutio fiat, vt probat bonus text. in l. si decem, cum petitor. ff. de verb. oblig. & tradit bene Felin. in c. licet. Heb. n. 2. & 3. de symon.

Quod procedit, etiam si in obligatione sit apposta dies & pœna, si tamen inter partes sit actum, vt reus adhuc certificari debeat per actorem, tunc enim talis dies non interpellat, ita quod mora sit impurgabilis, quia nulla mora præcessit sine petitione. Ita tenet glossa in l. ita stipulatus. la magn. verbo, certo die, ff. de verb. oblig. vbi hanc opinionem sequitur expresse Bartol. n. 1. Ripa 13. & Socin. Iun. nu. 65. & ceteri scribentes: ex qua gl. notant Angel. & Paul. de Castr. quod si statutum dīponeret, instrumenta lapsa termino esse mandāda exsequutioni, etiam per capturam, tale statutum non haberet locum, si in instrumento creditor promississet ante diem certificare debitorem, eo, quia per appositionem talis pacti videtur renuntiari beneficio statuti: quam illationem sequitur etiam Francisc. a Ripa in l. ita stipulatus. n. 14. & vtrumq; Greg. Lop. in l. 8. ut. 14. part. 5. glo. 2. vers. nota etiam.

Vbi exemplificat in instrumentis publicis seu in priuata scriptura recognita, quæ in hoc Regno habent exsecutionem paratam, quod id non habeat locum, quando dies certa est apposta cum pacto, quod ante diem certificatio debeat fieri per actorem: quoniam illud pactum reddit terminum conditionalem. Ergo idem dicendum est in nostro casu, cum sit eadem ratio: quia debitor ita demum obligatur, si fuerit petitus, si que obligatio non est pura, sed conditionalis & qualificata, ac proinde non habet exsecutionem paratam, quoad usque verificata fuerit, vt late tradit post alios Roder. Suarez in l. post rem iudicatam, limitatione 5. ad l.

Regiam, ff. de re iudic. & Conarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 11. num. 2.

Vbi ambo probolunt pluribus aliis auctoribus allegatis, quod hæc verificatio instrumenti debet fieri & probari confessione partis aduersæ, vel per testes cum citatione debitoris receptos, antequam instrumentum mandetur exsecutioni: quia si de præd. verificatione non constat, non meretur exsecutionem. Facit etiam quod tradit Petrus Nunnez de Auend. in l. 4. & 5. tit. de las excepciones, lib. 3. Ordinan. nu. 20. vbi dicit, quod qualitas exsecutionis debet inesse a principio, vt probat lex illa ibi, Recados ciertos: Nam non dicit, certificando. Et quod a principio debet inesse, non sufficit postea verificari, quia est forma, vt per Doct. quos ibi allegat, & tenet idem Auendan. in c. Prator. nu. 27. lib. 1. fol. 15. in princip. Ergo ita in proposito dicendum est, quod licet dict. creditor petiisset a d. reo debitum hoc, cum tamen id non constiterit tempore, quo petita fuit exsecutio, & sic instrumentum non fuerit certum nec verificatum, licet postea in oppositione & processu exsecutionis verificaretur, quod non conceditur, non habuit locum via exsecutionis nec debuit exsequi, quia defuit petitio, & sic non potest dici instrumentum liquidum; Vnde non meretur exsecutionem, nisi prius constet de liquidatione, secundum Rodericum Suarez vbi supra. limitatione 4. & Conarr. etiam vbi supra n. 1.

Præterea etiam, antequam fieret dicta exsecutio, constaret de dicta petitione, adhuc exsequi non deberet in pecunia sed vt debitor præcise compelleretur ad delegandam prout promissit & se obligauit in d. schedula, vt supra dictum & de iure probatum existit, & hoc per capturam vel alio modo faciendi ei præceptum, quod deleet creditori suo debitorem intra certum terminū, & celebret scripturas necessarias, prout promissit sub pœna exsecutionis. Quia instrumentum & cōtractus certæ speciei debet exsequi in ipsamet specie, & debitor præcise est compellendus ad eam tradendam, vt probat textus iuncta gl. in verb. cōdemnandus, in vers. dicit ergo Ioannes, in l. qui restitueret, ff. de rei vendic. & ibi notant Dd. & Roder. Suarez in d. l. post rem iudicatam, in 3. extensione ad l. Regiam, ff. de re iudicata: Ergo ita in proposito est, quod cum debitor in nostro casu se obligauerit ad soluendum in hac specie solutionis, scilicet, in delegatione, in ea debet compelli, vt soluat præcise, & non alia. Ex quibus omnibus patet, nullo modo potuisse fieri d. exsecutionem, & factam reuocandam & annullandam fore, saluo meliori iudicio. Iudex Placentinus iussit procedere in exsecutione, & fieri solutionem in pecunia creditori, in superq; reum in expensis condemnauit, qui appellauit, & in Regali prætorio Pinciano fuit reuocata exsecutio in totum, & iustum reddi reo principale, decimam & expensas, & declaratum, vt adimpleret delegando iuxta dictam schedulam: idemque secundam sententiam in gradu reuisionis primæ in eadem curia late confirmatoria comprobatum fuit. Ex quibus sententiis fuit concessa exsequutoria in fauorem dicti rei, iuxta hoc consilium.

S V M M A R I A.

- 1 Exercentes officium cauonis & stabularij sunt infames infamia facti, attenta opinione & estimatione, que habetur de his personis in Hispania.
- 2 Infamia iuris vel facti non solum repellit, sed adimit officium honorificum iudicis habitum.
- 3 Nullus debet eligi in iudicem, qui non sit dignissimus & meritis & facultatibus.
- 4 Valeat argumentum de teste ad iudicem negative.
- 5 Qui fecit aliquid, quominus habeatur, non potest esse testis.

- 6 Viles persona & infima nequeat nominari, eligi vel aspirare ad officium publicum honoris, quia eo fungi prohibentur.
- 7 Exercentes officium cauponis & stabularij ex hoc sunt viles & infima persona: quia communiter solent committere fraudes colludendo cum furibus aduersus eos, quos recipiunt, & communiter hospitatores isti sunt homines rapaces & vulgares.
- 8 Qui exercuit officium vile & infimum, non potest eligi nec nominari ad officium dignitatis vel honoris.
- 9 Artes & negotiatores & alia viles personarum non possunt assumere officia provincialia & alia dignitates.
- 10 Iniuria fit dignitati, quando viles persona ad eam euehuntur.
- 11 Officia vilia reddunt ea exercentes obscuros, ut nequeat ad dignitatem seu honorem promoueri.
- 12 Officia mechanica censentur vilia: & sic nobiles ea exercentes non gaudent nobilitate.
- 13 Exercentes mercimonia, cuiuscumque ergasterio adherentes, nequeunt habere officia publica honoris.
- 14 Exercentes artes viles indistincte prohibentur admitti ad aliquos honores, nisi in casu necessitatis.
- 15 Illud officium dicitur vile & sordidum, quod pro tali reputatur.
- 16 Exercentes officia stabularij vel cauponis, communiter solent esse persone pauperes, quia de suo non possunt se alere.
- 17 Elisoria est electio seu nominatio ad officium publicum honoris & contentum habita, quando fit de personis, quibus non est vitium & vita sufficiens.
- 18 Ad quem pertinet institutio & confirmatio, pertinet etiam destitutio.
- 19 Ad quem pertinet ius confirmandi electionem, spectat etiam cognoscere de defectu & inhabilitate electorum ex officio vel ad instantiam partis, & repellere & infirmare electionem de eo factam, quando subest iusta & rationabilis causa.
- 20 Nominati ad magistratus non habent solidam iurisdictionem, quousque fuerint confirmati a Superiore, cui competit confirmatio: nam ab eo censentur habere solidam iurisdictionem.
- 21 Ex hoc, quod competit alicui ius confirmandi nominatos ad aliqua officia, censetur competere ius superioritatis in nominatis.
- 22 Omnis dispositio generaliter loquens de personis admittendis ad aliquod officium, est intelligenda & interpretanda de idoneis & capacibus.
- 23 Longa consuetudo in electionibus officialium est custodienda.
- 24 Longa consuetudo admittendi ad officia publica magistratus seu honoris personas certa aetatis, est obseruanda.
- 25 Consuetudo, quod inhonesta & viles persona admittantur ad officia publica magistratus seu honoris, prout sunt cauponis & stabularij & reuenditores, non procedit.
- 26 Consuetudine vel lege si caueatur, ut ad officia publica magistratus seu honoris admittantur homines certa conditionis est intelligendum, si idonei sunt.
- 27 Per exercitium vilium & infimorum officiorum cauponis & stabularij ipsorum persone remanent sordiditate seu vilitate infecta, ita, ut nequeant habere postea officium honoris.
- 28 Commissio & mandatum confirmantis non extenditur ad eam confirmationem, quam in specie verisimiliter committens vel mandans non concederet.
- 29 Appellatio non permittitur (dico quoad effectum suspensionis) quotiescunque res dilationem non recipit.
- 30 Lite pendente fit provisio, considerata qualitate causae, si

forte res periret vel consumeretur durante lite, ut si-
 eius, vel aquini pro expensis.
 31 Idem, quando tempus finiretur, forte rectoris electi ad tres menses.

CONSILIVM XXXI.

Quod est Illustrissimi domini Petri Poncea Leone Episcopi Placentini, Regijque consiliarij, Catholicae fidei censoris, & Summi Inquisitoris in Hispaniarum Regnis merito creati, missum ad auctorem iudicem causae infra scriptae.

Supposito casu praesentis processus super infirmanda electione a Concilio municipij de Xarahizejo facta iudicum ordinariorum, vulgo Alcaldes ordinarios, nuncupatorum, quamuis a iudice maiore dictae villae ab eodem Episcopo domino temporali d. municipij posito confirmata, in quantum de iure locum habere possit, quia habebant ipsi electi officia vilia & infima: nempe, Iacob. erat tempore electionis stabularius, Franciscus vero caupo.

Praesupposito etiam, quod ad dictum Episcopum pertineat praedicta confirmatio electionum, & ipsis electis atque confirmatis tradere virgas iustitiae, ut exsequutoria lata obtentum est, de quo non dubitatur. Item visis probationibus pro parte, & ad instantiam fiscalis dicti Episcopi aduersus praedictos electos factis, necessario iudicari debet contra illos declarando pro nullis dictam electionem & confirmationem, & praecipiendo concilio dictae villae, ut alios iudices, habiles tamen & idoneos nominet sub penis & monitionibus iuridicis, opportunitis, idque ex iuris ipsius dispositione, quod in praesenti consilio annuente Deo demonstrabitur.

Primo: quia, ut probatum est in processu, exercentes officium cauponis & stabularij sunt infames infamia facti, attenta opinione & estimatione, quae habetur de his personis in Hispania. Item officium iudicum ordinariorum in dicto municipio est honorificum, praesertim, cum probatum sit, quod cognoscant de omnibus causis ciuilibus & criminalibus in prima instantia inter vicinos & alios in territorio dicti municipij, ut ad sensum patet & probatur in capit. licet causam, de probation. in princip. ibi, super iurisdictione, honore ac districtu in villa Sancti Petri, & Castro Arrioli: & facit lex i. tit. 1. De los cavalleros, libro sexto recopilat. Regiae, sed infamia iuris vel facti non solum repellit, sed adimit officium honorificum iudicis habitum, text. in l. infamia, vbi notat Ioann. de Platea, & in leg. nec infames, C. de decurion. libr. 10. l. vnic. Codic. de infam. libr. 10. & l. 2. Codic. de dignitat. libr. 12. notatur in l. cum Prator. ff. de iudic. in leg. 2. ff. de officio assess. & est lex nostri Regni expressa 4. tit. 4. partit. 3. ibi. Qui otro si el que fuesse de mala fama, & leg. 7. tit. 6. partit. 7. ibi. Et tan grande fuerca ha el enfamamiento, que estos a tales no pueden ganar de nuevo ninguna dignidad, ni honra de aquellas, para que deuen ser escogidos homes de buena fama, y ayn las que auian ganado ante de las perder luego que fueren prouidos por tales. E demas dezimos, que ninguno de los enfamados no puede ser suzgador, ni consereno de Reyni de comun de algun concejo, &c. Quae verba omnino tam in se, quam in ratione decisionis sunt ponderanda. Nam ut dicit Ioannes de Platea in leg. ad subeunda, Codic. de decurion. libro decimo, nullus debet eligi in iudicem, qui non sit dignissimus & meritis & facultatibus: nam dignis & benemeritis sunt officia, honores & dignitates conferendae, textus in leg. ut virum meritum, Codic. de status & imagin. Item praemissio, quod est probatum, quod exercens officium cauponis & stabularij, minor ex hoc habetur, quam ceteri

ceteri homines, ut iuxta illos poni non possit, manifeste constat, dictos Didacum & Francisc. ob exercitium dictorum vilium officiorum minime potuisse eligi nec confirmari ad honorabile officium iudicum ordinariorum dictae villae: quia non sunt digni esse in societate personarum honestarum, ut probat d. l. 2. C. de dignit. libr. 12. ibi, & quos infamia ab honestorum coetu segregat, &c. Quae verba sunt omnino expendenda. Sed in expressis terminis de iure nostri Regni cauetur hoc expresse in praed. l. 4. tit. 4. part. 3. ibi, Qui esse sicbo cosa por que valiesse menos, segun el fuero de Espanna: facit etiam l. 2. tit. 15. libr. 2. ordin. Regal.

Item probatur, praesupposito, quod valet argumentum de teste ad iudicem praesertim negatiue, ut de defectus, qui repellit, ne quis possit esse testis, repellat etiam ab officio iudicis, iuxta tradita in cap. de cetero, de testib. Sed qui fecit aliquid, quo minus habeatur, non potest esse testis, ut probatur manifeste in l. 8. tit. 16. part. 3. ibi, El que humiesse hecho por que valiesse menos, en tal manera, que no pudiesse ser par de otro, no puede ser testigo, &c. Ergo nec poterit esse iudex. Item viles persona & infima nequeunt nominari eligi vel aspirare ad officium publicum honoris, quia eo fungi prohibentur, text. in l. honores, ibi, Is, qui non sit decurio, damnatur vel alius honoribus fungi non potest, quia decurionum honoribus, plebes fungi prohibentur, &c. ff. de decur. est etiam text. expressus in auth. de defens. civit. in princ. iuncta gloss. verb. obfcuri, collat. 3.

Item: quod exercentes officium cauponis & stabularij ex hoc sunt viles & infima persona, patet, quia communiter solent committere fraudes colludendo cum furibus aduersus eos, quos recipiunt, & hac de causa emanauit edictum praetoris aduersus cauponis & stabularios, ut in l. in princ. versic. maxima utilitas. ff. de nauis cap. & stabular. & l. 26. tit. 8. part. 5. & ita Bald. in l. 1. C. locati, que refert Greg. Lop. in d. l. 26. in glo. des leales, dicit, quod communiter hospitatores isti sunt homines rapaces & vulgares. Et quod caupo sit persona vilis, expresse cauetur in l. humilem, versic. humiles, C. de incestis nupt. ibi, tabernariam, & in l. 1. C. de natur. libr. 10. vel ex tabernaria, idem probatur in l. qua adulterium, C. de adulter. tenet Aymon Crauet. consil. 13. num. 2. quem refert & sequitur Roland. a Valle consil. 34. num. 5. libr. 2. probatur etiam in l. 3. tit. 14. part. 4. & a fortiori erit vilis stabularius. Sed ille, qui exercuit officium vile & infimum, non potest eligi nec nominari ad officium dignitatis vel honoris, ut est text. expressus in l. ne quis ex vltimis negotiatoribus, C. de dignitatibus, libr. 12. vbi Bartol. expresse summat illum textum sic, quod negotiantes artes vilissimas ad dignitatem seu honorem non aspirant, & aspirantes repelluntur a dignitate seu honore etiam quafito. Et idem notat Ioannes de Platea, vbi etiam dicit, quod propter vilitatem negotiatorum repelluntur a dignitatibus & honoribus tanquam viles & humiles, non autem propter poenam exercitii negotiationum, nec quia sunt infames, sed quia talia vilia officia exercent. &c. Et omnino sunt ponderanda verba illius legis, ibi, abiectione officij, vel de formibus ministerij, &c.

Quae verba insinuant, quod sicut exercentes officia mechanica abiectione, ita praestates ministeria vilia repelluntur & priuatur officiis honoris. Et in l. 5. tit. 6. part. 1. assignans exempla ministeriorum vilium, dicit, quod similia seruitia censentur etiam vilia: sed ministeria cauponis & stabularij sunt similia, vel inferiora ministeria eis seruitiis vilibus, quae in praedicta lege designantur; Ergo ministeria cauponis & stabularij sunt infima & vilia, & consequenter repellunt praedictum Iacobum & Franciscum ab officiis honorificis iudicum ordinariorum praedictae villae de Xarahizejo.

Pro hac etiam opinione est text. expressus in l. si cohortalis, & in l. si cohortalis, versic. sed etiam cum eos, C. de cohortalibus & princ. cornicularij, libr. 12. Vbi Ioannes de Platea expresse notat, quod artifices & negotiatores & alia viles personae non possunt assumere officia provincialia & alia dignitates, cuius ratio assignatur in illo text. ibi, nec honor dignitatis & militia, eorum contagione polluantur. Vbi etiam dicit, quod facit contra cerdones & alios vilissimos mechanicos plebeios & artifices, qui quaerunt habere vicariatus & potestates.

Confirmatur, quia iniuria fit dignitati, quando viles persona ad eam euehuntur, ut deducitur ex text. in authentic. de sanctissim. Episcop. versic. post ordinationem vero, collat. 9. Pro hac etiam conclusione conducunt valde text. in l. vnic. C. negotiat. ne militent, libr. 12. & in authentic. de testibus, & sancimus, versic. & non quosdam artifices ignobiles, iuncta gloss. ibi. collat. 7. vbi probatur, quod officia vilia reddunt ea exercentes obscuros, ut nequeant ad dignitatem seu honorem promoueri: Sed in l. 3. tit. 1. de los caualleros, libr. 6. Coplat. referuntur officia mechanica repellentia ab honore militiae, quae non sunt ita vilia, sicut officia cauponis & stabularij; Ergo a fortiori haec repellent ab officiis honorificis iudicum ordinariorum dictae villae: ea ratione, quia officia mechanica censentur vilia, & sic nobiles ea exercentes non gaudent nobilitate, text. vbi notat Bald. in l. nobiliores, C. de commercijs & mercatur. tradit. Gurd. Papa. questione 89. & 169. facit l. vniuersos, C. de decurionibus, libr. 10.

Deinde ex alio etiam capite dicti Iacobus & Franciscus excludendi sunt a praedictis officiis, quia aduersus eos probatura existit, quod emebant vinum & alia victualia ad reuendendum hospitibus, quod est ita vile, ut hoc solum sufficeret ad infirmandam dictam electionem & nominationem, maxime omnibus supra dictis simul iunctis. Quia qui exercuerunt mercimonia, cuiuscumque ergasterio adherentes, nequeunt habere officia publica honoris, text. in allegata l. si cohortalis, ibi, ceterosque instutores aliarum mercium quibuscunque ergasterijs adherentes, & in l. humilem, C. de incestis nupt. ibi, aut eam, qua mercimonis publicis praesuerit. Et sic l. 3. tit. 14. part. 4. inquit: que la taberner a y regatera es vil persona. Et quod huiusmodi officia exercentes repellantur a dignitatibus & honoribus tradit late Aymon Crauet. consil. 136.

Imo etiam si praedicti Iacobus & Franciscus non essent caupo & stabularius, nec reuenditores in domibus suis, sufficeret, quod probatur, nempe, in aliorum domibus & tabernis ipsos vendere publice panes coctos, & alia victualia & cibos paratos ad comedendum, viatoribus & transeuntibus, quia ex hoc incidere possent in poenam corporalem fraudem committentes & victualia prohibita vendentes.

Vnde inhonestum esset, ut hi venditores horum vitensilium possent habere officia iudicum ordinariorum dictae villae, nec alia honorifica, text. in l. eos, qui vitensilia negotiantur & vendunt, ff. de decurionibus si recte expendatur. Et ita Bart. ibi subiicit haec verba: Dico, quod hodie isti, qui faciunt istas artes viles indistincte, prohibentur admitti ad aliquos honores, quod intelligo verum, nisi in casu necessitatis, si alii non reperiantur, ut ista l. in fin. & supra eodit. l. generaliter, s. furiosus. Hucusque Bart. Si ergo hoc officium cauponis vel reuenditoris vel illius, qui publice etiam de suis rebus vitensilia vendit, est vile officium & inhonestum: Ergo a fortiori stabularius & caupo reuenditores vitensilium non poterunt nominari iudices ordinarii alicuius castri, in quo possint exercere iurisdictionem ciuilem & criminalem, ut eam habent & exercent iudices ordinarii dictae villae de Xarahizejo.